

stes exhorresceres, Saturnus planeta, auus illius, ira accensus, eandem, mera ex ira, in id, quod ante partum suum fuerat, iterum commutabat: atque hac ratione Saturnum ex contemptu offendisti, atque ad illius mortem, corruptionem, & finalem denique interitum, ansam dedisti. Illa ipsa siquidem est, qua de Senior ita ait: *Vae, vae mihi: adfert mihi nudam feminam, dum corpus meum inuisibile, & nondum ego mater facta essem, donec secunda vice nascerer, tunc omnium herbacearum radicum vires pariebam, in essentia mea victoria reportabam, &c.* Ista emphatica corque penetrantia verba admodum peregrina mihi videbantur, attamen Zelum pro virili reprimebam, & contra illa solemniter protestabar, quod de illius filia mihi nihil omnino constaret, multo minus ad eiusdem mortem, corruptionem, & interitum ansam præbuissem: illius vestes quidem integrum per quinquennium in cubiculo meo adseruassem, præ nimia cœcitate tamen illas nondum cognouissem, nec illarum vtilitatem excogitare potuissem: atque, ea de causa, tam coram ipso Deo, quam hominibus essem innocens. Legitima benefundata ista mea excusatio vetulæ materculæ summopere arridebat, meque intuens dicebat: Animaduerto & colligo ex sincera tua conscientia, quod fies innocens, atque, ob istam tuam innocentiam, loco mercedis, grande præmium reportabis. Quocirca fideli ex corde, in arcano tamen, tibi reuelabo: quod nimirum filia mea singulari ex amore, & erga te, adfectione, sub remansis illius vestibibus canam mormaliatam cistulam post se in hæreditatem tibi reliquerit, quæ crasso, nigro, & rancido panno obducta est, (interea mihi vitrum, lixiuio plenum, mihi porrigebat, & vltterius loqui

loqui